



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvit̃s, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

109. Fer. 5. Crudeles duodecim contumeliæ Christum, in domo Pilati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

potestate, ut clementiæ ipsorum totum attribuatur. Ita obsequio illos captans ac mitigans, inquit D. Chrysoſt: at illi dicunt omnes, & magis clamant: *Crucifigatur.* Verè dixit D. Ambr. *Qui odit innocentiam, scelus diligit.* Reflectam me quomodo in postpositionibus me habeam, an unquam tanta mihi contigerit, quanta D. Iesu publicè postposito Barabbæ? quid ergo cōqueror, & cōcido?

MEDITATIO CLX.

Feria, 5. Domin. Passionis

Crudeles duodecim contumeliæ in Christum, in domo Pilati.

PONAM ob oculos sequentes 12. contumelias in Christum patratas, & præsertim peccus DEO plenum sulcari flagris. Petam agnoscere Domini patientiam, & imitari.

1. Contumelia fuit denudatio, Matt. 27. *Congregaverunt ad eum universam cohortem, & exuentes eum: licet enim non haberet nisi tantum similitudinem carnis peccati, de ea tamen sic oritur pudor, ut de veritate, quia in vituperio hominum non differunt esse & apparere.*

2. Flagellatio: *Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit* Ioan. 19. Honestatis auctorem non mortuum, sed vivum ad columnam facie versâ cædi sine lege jubet, & ego

184 FERIA 5. DOM. PASSIONIS.

ego nondum erubescō inimicam animæ sensualitatem? Nondum pudet me corporis esse mancipium? major dolor mitigat minorem, ut ignis magnus absūmit parvulum: quid autem dolorosius flagellatione Christi?

3. Coronatio: *Et milites plectentes coronā de spinis imposuerunt capiti ejus: Ioan. 19. Lignum pro auro, spinas pro gemmis, quōdā seculo nulla refert historia, ut notat D. Hieron. Quomodo Verbum cecidit inter spinas, & nondum compungitur superbia mea? S. Agapitus Mart. annorum 15. adolescens ferreā & candente corona caput cinctus exclamavit: Parum est in terra caput aduri coronandum in cælo. Theophylactus ait: Corona est arcta via.*

4. Chlamys: *Induerunt eum Chlamydem coccineam, veste purpureā circumdederunt eum. Matt. 27. Marc. 15. Purpura passionem & Regnum significat, ait Glossa. En Dominum non clarum imperio, sed plenum opprobrio. Non recuso inglorius fieri, ut non irruatur in gloriam Dei, ait D. Bern. L. 2. ad Eugen. Pap.*

5. Arundo. Matth. 27. *Et arundinem in dextram ejus.*

6. Genuflexio ludibunda: *Et genu flexo ante eum illudebant ei. ibidem.*

7. Salutatio: *Et veniebant ad eum, & dicebant ei: Ave Rex Iudeorum. Joan. 19.*

8. Ado-

8. Adoratio: *Et ponentes genua adorabant eum.* Marc. 14.

9. Conspuitur: *Et exspuentes in eum* Matt. 27. *Et conspuerunt eum.* Marc. 15. Jam secundo conspuitur, quasi qui se false Deum dixisset.

10. Colaphizatio: *Et dabant ei alapas.* Joan. 19. jam tertio alapis caeditur.

11. Percutitur arundine: *Acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.* Matt. 27. Marc. 15. Caput Christi percutiunt arundine, qui errorem suum ex scriptura confirmare nituntur. Quanto Dominus erat potentior, tanto maluit esse patientior. *Saginari voluptate patientia discessurus volebat.* Tertul. L. 1. de Pat. c. 3.

12. Ostenditur omni populo: *Ecce homo: Ecce ignotus Deus: refrigescat invidia, cum ferveat ignominia: ipsi autem magis clamabant: Crucifige, crucifige eum.* Indignatus ad hæc Pilatus: *Accipite, inquit, eum vos, & crucifigite: ego enim non invenio in eo causam: urgent ipsi. Nos legem habemus, & secundum legem debet mori: Quia Filium Dei se fecit.* Hic Pilatus magis timuit, novum secreto examē instituit, exindēq; querebat dimittere Iesum, jam septimā, & octavā vice. Ad hæc ultimū arietem movent in Pilatum Iudæi, & quem flectere non poterant objectione blasphemie, flectunt objectione ambitionis: *Si hunc dimittis,*

186 FERIA 6. DOM. PASSIONIS.

mittis, &c. qui clamor vim fecit Pilato, ut sedens pro tribunali nonâ vice frustra innocentem liberare vellet. Itaque videns Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, lavit manus coram populo dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius, ipsis acclamantibus: Sanguis ejus super nos. Manus lavit, sed cor suum lavare non potuit. D. Amb. Ser. II. in Ps. 118.

MEDITATIO CX.

FERIA 6. DOM. PASSIONIS.

Causa Deicidij ex parte Pilati duodecima.

Aspiciam omnium, quod sub sole fieri potest, iniquissimorum judicium iniquissimum, quasi verò Filius Dei esset deterior latrone, & adeò nequam, ut neque pro pietate, neque pro festi prærogativa deberet liberari, inquit D. Chrylost. Petam agnoscere tanti sceleris causas.

Conf. 1. Propositum dilemma Pilato totâ æternitate insolubile: Si enim falsum crimen objectum fuit, cur Christum non absolvit? si verum: cur novies innocentem pronuntians damnavit? si voluit satisfacere populo, cur non potius conscientia? si timuit perdere amicitiam Cæsaris, cur non potius timuit incurrere in offensam DEI, agendo contra conscientiam suam?

Conf. 2. Causas tam sceleratæ voluntatis. Si